

Petrus de Vinea

*Ep. V 114 (Vobis, serenissime
imperator, lux fidelium...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 114 (Vobis, serenissime
imperator, lux fidelium...)*

-

Forma petitionis in approbata forma imperatori porrigenda.

1. Vobis, serenissime imperator, lux fidelium, protector et benefactor eorum. 2. Ego, G. de Capistrello, qui audacter et secure possum et debeo dicere, salua conscientia, coram Deo et uobis, quod semper fidelis extiti et existo, et, ex quo seruire potui, incessanter in seruitiis uestris mansi et maneo, supplico misericordiae uestrae, quod, cum olim ego et progenitores mei, fideles uestri, habuerimus et tenuerimus quamdam partem Capistrelli, quod nuper ad demanium uestrum deduci fecistis, super hoc misericorditer prouidentes, dignemini in equiualeanti excambio prouidere. 2. Propter quod in seruitiis uestris ualeam continue permanere, et me cum familia mea ad honorem uestrum et commodum meum sustentare.